



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

812. An in literis provisionis, quæ conceduntur Impetranti ob non factam publicationem, apponi necesse sit hanc clausulam: vocato possessore.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

*Questio 812. An in literis provisionis, quae conceduntur impetranti ob non factam publicationem, apponi necesse sit hanc clausulam: vocato possessore.*

**R**espondeo affirmative. Paris. l. 11. q. 10. n. 9. dicens, hanc esse veritatem & crebriorem; eò quòd, licet, dum quis privatim ipso jure beneficiis, illaque possit à quolibet impetrari, is non sit vocandus in eorum collatione, nihilominus possessione de jure non potest inauditus; sed debet vocari per Executorem, argumento c. licet Episcop. de prob. in 6. Paris. loc. cit. n. 10. citatis plurib. Cujus ulterior ratio est, quòd, licet ipso jure dominium sit amissum, ex quo ad titulum non requiritur, ut vocetur, non tamen amissa sit possessio. Paris. à n. 11. Adeoque necesse est, possessorem ratione non amissa possessionis vocari, & consequenter Executor, eo non vocato, in possessionem mittere non potest illum, cui facta collatio ob non publicationem. Paris. n. 14. Unde ait idem n. 15. concludere DD. omnes, quòd, quando in collatione non est vocatus ille, qui possidet beneficium, quo est ipso jure privatus, possessionem facti tradi non posse per conferentem vel Executorem, eo non vocato, & sic sine causa cognitione. Accedit, quòd forsan tali possessori jus competere possit, & docere talis resignatarius in continente de publicatione facta, vel derogatum publicationi, vel tempus sibi prorogatum. Paris. n. 18. quem etiam vide objecta in contrarium pluribus diluentem.

*Questio 813. Qualiter elidi possit intentio Actoris in hac materia?*

**R**espond. Si Actor actionem suam dirigat contra resignatarium, licet non admittatur hujus excusatio ex juris vel ignorantia, vel dubietate, juxta dicta à nobis suprâ; tamen facile submovebitur actor, si resignatarius doceat, sibi factum indultum à Papa, ne teneatur publicare, modò illud producat; vel si ostendat, sibi prorogatum tempus ad publicandum, & illud nondum elapsum, cum fuit facta impetratio. Vel etiam sibi concessam restitutionem adversus lapsum temporis; cum, licet provisio nova, ut dictum suprâ, in hac parte nihil operetur, aliud tamen dicendum sit de ipsa restitutione, dum impetrans non docet, sibi ante hanc restitutionem jus quaesitum; si enim is, qui nititur restitutioni, doceat, se post obtentam restitutionem publicasse, remanet elisa impetratio. Ita ferè Lott. l. 3. q. 12. à n. 32. Attendendum verò ait idem Lott. à n. 36. ne reus volens elidere intentionem actoris, se proprio ligone feriat, producendo publicationem nullam ex defectu formæ, vel extra tempus factam; eò quòd licet publicatio sit actus iterabilis, idòque offensâ unâ publicatione minus validâ non concludatur ad objectum; cum possit dari instantia alterius factæ legitimè; si tamè ipse reus illam produceret, conferretur hinc fateri, se aliam non habere, pro quo citat Garc. p. 11. c. 3. n. 329. Quòd si verò actor dirigat actionem suam contra ipsum resignantem, & adhuc possessioni incumbentem, vel etiam tertium adhuc impetrantem, duriorem provinciam tubire, ait Lott. loc. cit. n. 39. si ostendatur nullitas ipsius resignationis, veluti si proponatur in ea non expressus verus valor, vel quia fuit invalida ex defectu consensûs, vel aliàs non potuit fortiri effectum.

*Questio 814. An, quando, & qualiter ipse Resignatarius factam à se publicationem teneatur exhibere, & probare?*

**1. R**espondeo primò: Teneri illum eam exhibere, quoties Superior veller eam videre, astringit Paris. cit. q. 14. n. 33. dicens, sic communiter teneri ab omnibus, & in praxi receptum, probatque id ipsum ex eo, quòd, quamvis possessor beneficii probare non teneatur, teneatur tamen ostendere titulum, quoties Superior ex officio inquirat, juxta c. Ordinarii, de officio Ordinarii. in 6. & ibi Gemin. n. 7. Franc. n. 5. & juxta c. licet Heli. & ibi Abb. & Anan. n. 27. Butr. n. 12. Felin. n. 8. de quo vide dicta aliàs, ubi & illius extensiones & limitationes.

**2. Respondeo secundò:** Teneatur quoque probare uti titulum, ita & factam à se publicationem Resignatarius, quoties ipse peteret suam gratiam canonizari ad effectum aliquem Paris. loc. cit. n. 39. citans Innoc. in c. ex insinuatione, de Procurat. col. 2. n. 3. Rebuff. in pr. tit. de rescrip. ad benef. vac. n. 17. Colmam Guimier. in pragmat. sanct. tit. de pacif. posses. v. inquirant.

**3. Respondeo tertio:** In casibus verò, in quibus ad id teneatur, debet docere de facta publicatione per instrumentum factum à Notario publico super actu publicationis, ut requirit Constitut. Gregoriana. Paris. loc. cit. n. 40. Idque vel scriptum, ut fieri solet à tergo literarum, vel per instrumentum separatum. Paris. n. 41. Quòd si instrumentum illud deperditum, sufficere, si probet per testes actum publicationis fuisse celebratum, instrumentum de super confectum, & hoc ipsum deperditum esse, tradit Paris. n. 45. citatis pluribus, qui etiam n. 47. ait, id procedere, si litera ipsa resignationis, à quarum tergo scriptum instrumentum, essent deperdita.

### PARAGRAPHVS XIII.

#### De Resignatione permutationis gratiæ, seu de permutatione beneficiorum.

Cum ea, quæ permutationem Beneficiorum concernunt, jam in antecedentibus pleraque examinata sint, non nisi breviter ea perstringemus, & si quæ omissa, ad demus.

*Questio 815. Quid sit permutatio beneficiorum?*

**R**espondeo definiti illam à Tond. qq. benef. p. 2. c. 3. §. 8. n. 1. Chok. de permut. p. 1. c. 1. n. 4. quòd sit unius juris beneficii cum alio ex causa, & de consensu Superioris reciproca præstatio: brevius Castrop. de benef. d. 6. p. 3. §. 1. n. 1. Murga. de benef. q. 3. n. 9. 43. quòd sit reciproca beneficiorum resignatio facta ad invicem inter permutantes. Dicitur primò Resignatio quòd est loco generis, continet enim permutatio in se resignationem Paris. l. 11. q. 5. n. 19. Dicitur secundò Reciproca; quia permutatio complectitur in se duplicem resignationem conditionalem duorum, quorum unus suum beneficium cedit alteri eà lege, ut is vicissim cedat sibi suum. Unde etiam non comprehenditur hac definitione permutatio